

Disputatio medica sistens millepedas ... / [Johann Philipp Elvert].

Contributors

Elvert, Johann Philipp.
Henninger, Johann Sigismund, -1719.
Université de Strasbourg.

Publication/Creation

Argentorati : Literis Josiae Staedelii, [1711]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/f2r48eu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

34

Q. D. B. V.

DISPVUTATIO MEDICA
SISTENS
MILLEPEDAS,
IN ILLVSTRI ARGENTORATENSIMUM
UNIVERSITATE
PRÆSIDE

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo,
Experientissimo atq; Excellentissimo*

**DN. JOH. SIGISMVNDO
HENNINGERO,**

MED. DOCTORE EJUSDEMQVE ET
BOTANIC. PROFESSORE PVBL. ORD. LONGE
CELEBERRIMO, ET H. T. FACVLTATIS
MEDICÆ DECANO SPECTABILI,

**DN. PATRONO, FAUTORE ATQUE
PRÆCEPTORE AD DIES VITÆ COLENDO,**

SOLENNI ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTIT,
JOHANNES PHILIPPVS ELVERT,
SPIRENSIS, AUCTOR.

*Ad d. 12. Mens. Februari. MDCCXI.
HOR. LOCOQVE SOLITIS.*

ARGENTORATI,
LITERIS JOSIÆ STÆDELII, ACAD. TYROGR.

ILLVSTRI
LIBERALITATIS
OTTONIANÆ
DNN. DIRIBITORVM
COLLEGIO.

VIRIS
*MAGNIFICIS, NOBILIS-
SIMIS, MAXIME REVERENDIS, AM-
PLISSIONIS, CONSULTISSIMIS, PRU-
DENTISSIMIS, EXPERIENTISSI-
MIS AC SPECTATISSIMIS.*

MÆCENATIBUS SUIS
MAXIMIS

Hanc Dissertationem Academicam
devota

qua pars est, animi submissione

D. D. D.

JOH. PHILIPPUS ELVERT,
AUCTOR



PROEMIVM.



Ria vastissima regna,
minerale , animale & ve-
getabile , largissimum pe-
nu remediorum nobis sup-
peditare, notius est, quam
ut hic demonstrari debeat, ita ut nil fere
in iis existat, quod non dextre adhibitum
in emolumentum corporis nostri cedere
queat , ut proinde non tam inopia quam
copia & abundantia medicamentorum
laboremus. Imo quæ sunt aut putantur
venena, & vitæ nostræ insidiantur , legi-
time præparata , & cicurata optima eva-
dere possunt & validissima medicamen-
ta, præcipue si existunt in manu periti ar-
tificis, ubi saepius morbis tanquam Deus
ex machina occurrunt, ubi enim virus ibi
virtus. Illa etiam quæ videntur vilissima,
sordida & abjecta, saepius maximum effe-
ctum in graviorum etiam morborum cu-

ratione exserunt, & alia pretiosa & rara
 æstimata multis parasangis post se relin-
 quunt. Pro exemplo ex animali regno
 esse possunt plura animalia & insecta,
 uti sunt lumbrici terrestres, formicæ, can-
 tharides, aranei, lacerti, scorpii, hirudi-
 nes, scarabæi, &c. imo ipsi pediculi & ci-
 mices, quæ ultima animalcula etsi potius
 in pœnam quam remedium homini data
 esse videantur, tamen & hæc usu Medi-
 co suo tempore non carent. Non infi-
 mum vero locum inter hæc obtinent
Aselli seu Millepedæ, animalcula utut vi-
 lissima æstimata, in Medicina tamen uti-
 lissima, & efficacissima, quæ in Cathe-
 dram Medicam producere, inque virtu-
 tes eorum inquirere in præsens constitui,
 cum enim temporis & studiorum ratio
 postulent, ut publicum aliquod profe-
 ctuum meorum in Medicina specimen
 ederem, placuit hæc animalcula feligere,
 & in his ingènii vires experiri. Altissimum
 Numen invocantes, ut conatus nostri fe-
 liciter procedant.

I.



T **v**ero ordine procedamus, ab eorum denominatione initium faciemus. Et quidem Græcis dicuntur ὄνοι Galeno hinc inde in suis scriptis, item ὄντος Dioscoridi & καθηρίδες, aliis πολύποδες, vel conjunctim ὄνοι πολύποδες, item ὄνοι κατοκίδιοι, nonnullis etiam τύλοι, aliis κύανοι & hæ sunt præcipuae denominationes Græcæ. Latinis appellatur Aselli, Millepedæ, Millepedes, & sic in officinis Pharmaceuticis communiter appellati solent: centipedes, multipedes; Cælio Aureliano Chronic. l. 4. c. 4. dicuntur procelliones, aliis porcelliones, quam vocem adhuc retinent Itali, à quibus vocantur hæc animalia porcelleri, & in Lugdunensi Gallia porcelets. Marcellus Empiricus appellat cutiones. Germanice dicuntur Mauroder Keller-Esel/Schäfflein/Keller-Wurm. Gallis Cloportes, Pourelets.

II.

Et hæ sunt præcipuae denominationes. Et quidem ὄνοι, ὄντος, Aselli dicuntur, non quod asino quoad formam sint similes, vel quod motu tardiore incedant, satis enim celeriter se subducere, & abscondere queunt, sed quod ad colorem ejus lividum potissimum accedant, Germani etiam hoc nomen retinent, & nominant Mauroder Keller-Esel/ quia ut plurimum in cellis vinariis, sub regulis & muris, eorum rimis aliquisque similibus locis humidis reperiuntur: τύλοι à cutis

à cutis callo & duticie. *xvapoi*, quia contacti in sese contrahuntur, & in globulum complicantur, ubi tum temporis formam fabæ quadantenus referunt, seu quod juxta Jonston. è fabarum folliculis seu culmis prodire soleant. Millepedæ dicuntur non proprie, sed idem hic significat ac animal pluribus pedibus præditum, nam quatuordecim tantum habent pedes, septem nimis in quovis latere.

III.

Referuntur vero Millepedæ ad insecta terrestria multipeda non alata, & brevem hic earum dabimus descriptionem, seu delineationem. Sunt insecta exanguia ovipara, parva, digitum transversum vix longa, semidigitum fere lata, colore livido cinericio nigricante, in superiori präcipue parte seu in dorso, in ventre vero albicante, quatuordecim pedibus gaudentia, utrinque septem, singulis pedibus una junctura vix perceptibilis, latera circa pedes serræ modo sunt dentata, cutem obtinent quasi squamosam & quadantenus callosam, ex novem flexuris partim majoribus partim minoribus constantem, unde sese contrahere possunt & complicate, & juxta Scribonium Largum conduplicate in orbem pilulæ rotundissimæ similem, vel ut Galenus loquitur ad fabæ similitudinem, in cutis prominentiis seu flexuris hinc inde nigriores seu luteæ maculæ conspicuntur. Instructa sunt in capite duabus antennis prominentibus, mediantibus quibus viam tentant. Prædicta sunt cauda bifida longiuscula acuminata. Cutem quandoque sponte deponere nonnullis putatur, cum eorundem exuvia interdum reperiantur, de quo tamen non imperito dubitatur. Degunt in cellis aliisque locis subterraneis, uliginosis ac humidis, rimis parietum, sub tegulis, lapidibus, hydriis, & vasis aquariis fi-

& ilibus in hortis, item in medullis arborum excisis, & inter corticem ac caudicem putrescentem. Tepido humore vivunt, juxta Jonston. in rimis parietum, aut ædium latebris hyemem transigunt. In calidis regionibus & siccis etiam reperiuntur, sed ibi nocturno rore vaporeque resarcunt, quicquid per diem humoris fuerat exhaustum.

IV.

An ovipara sint vel vivipara nonnulli dubitant: Plerique ovipara statuunt, & quidem Joh. Jonston. Hist. Nat. de in sect. l. 2. tit. 2. c. 1. p. 170. ovipara refert his verbis: coēunt, & à coitu ova deponunt candida, splendentia, margaritulis similia multa, & eodem loco coaeervata, ut anno 1583. observavimus. Ex ovis primum vermes duriusculi excluduntur, qui aliquantisper fere immobiles hærent & albantes, tandem parentum more liquorem aut rorem sugunt. Vivum tamen Millepedarum partum observavit, Philipp. Frauendorffer. C. N. C. Dec. 3. ann. 3. obs. 2. p. 3. ubi dum Millepedam microscopio lustrat, circa primum pedunculorum par à capite numerando, vidit aliquid sese mouere, non multo post animalculum instar miniori pediculi celerrimo cursu prorumpere, in sequente mox altero, tertio usque ad trigesimum septimum intra brevissimum tempus: erant autem hi aselliuli bene formati ejusdem inter se magnitudinis, ex eodem foraminulo in loco ad partum cœteroquin inconsueto & quidem matre mortua egressi. Hisce subjungit Christianus Langius in Lect. de Mat. Med. p. m. 429. quæ ipse observavit, his verbis: communiter dicitur, quod ponant ova, quæ in loco humido excluduntur, sed memini, me aliquando observasse, quod foemellæ ova & tenellulos asellos ventri adhærescentes gerant, pene ad

morem cancerorum fluviatilium : Si quid in hac re conjectari licet, forsitan ova sua naturaliter deponunt, ex primo pari pedunculorum, sicuti e. c. gammari seu canceri fluviatiles per certum foraminulum tertio pari brachiorum in primo osse insculptum patere solent, uti de cancri fluviatilis partibus genitalibus prolixè agit Luc. Anton. Portius C. N. C. Dec. 2. ann. 6. obs. 19. p. m. 48. seqq.

V.

Referimus itaque Millepedas ad insecta ovipara, uti talia ovula rotunda rubicundi coloris præterita æstate, saepius sub vasis aquariis in horto conspexitus. Et sic etiam statim ex præexistente seminio & matris ac feminæ congressu produci easdem, non vero absque præexistente ovulo ex sola aliorum corporum corruptione seu putredine procedere æstimamus, quamvis in locis uliginosis potissimum proveniant, generationem enim æquivocam hic locum non habere assertimus. Nam quod ad instantiam attinet, quando easdem etiam in corpore humano produci posse quidam exempla proferunt, ita Joh. Laurentius Lælius C. N. C. Dec. II. Ann. I. obs. 98. p. m. 228. refert de puella 15. annorum, quæ à perpetuis ultra bicannum variis symptomatibus, diversis multorum medicamentis frustra adhibitis liberata fuit Syr. emetico Angeli Salæ, quo mediante plures quam 60. Millepedas expulit, & Joh. Nicol. Binninger C. 4. obs. 3. de quodam, qui certa quadam die Millepedas vivas evomuit innumeratas, per hypocaustum currentes. Cum in priori casu ipsa puella confessa fuerit, se aliquando magna siti infestatam ex vetusta aliqua cisterna bibisse, hinc facile potuit seminum illarum haurire; in posterio-

ti Binningerū satetur , in corpore tali cachectico , ejusmodi bestiolas omnino generari potuisse , cum forte imprudenter earum semina cum aliamentis admisisset , quæ à calore nativo animari , & idonea putrefactione uti vermes nutriti potuerunt . Nam quod ad Vomitum illum attinet , quem describit Ros. Lentil. Miscell. Med. Pract. Part. 1. p. 89. ubi præter alia etiam 162. Millepedæ rejectæ fuere , ille morbus omnino ad fascinationem est referendus , sicuti prolixè describitur à p. 81. ad p. 102.

VI.

Differentiam quod concernit , videtur non nisi unam esse speciem , nec inter se differre nisi magnitudine , colore atque loco , dum nempe sunt majores vel minores , coloris fusci cinericei vel albicantis , vel domesticæ aut sylvestres , uti Nicolaus Lemer. trait. univers. des Drog. simpl. p. m. 496. ratione loci natalis differentiam facit , quando inquit : Il y en a de deux espèces : les uns sont domestiques , & ils se trouvent dans les fentes des pierres , aux lieux humides & salpetreux , dans les caves. Les autres sont sauvages & ils se tiennent dans les bois. Non enim videtur vel magnitudinem speciem variare cum nutrimentum copiosum hic maximam partem conferat , nec colorem , qui pro diversitate ætatis & loci variat , nec locum , licet locus ubi degunt differentiam & electionem dare possit ad usum Medicum , sicuti majores tanquam meliores ante laudato Lemery expetuntur. Nam aliud plane insectum intelligit Plinius libr. 20. c. 2. ad Millepedas nostras plane non referendum , quando inquit : folia peponum canant cum vino canis morsus , item Millepedæ , spea Græci vocant

(ubi)

(ubi in notis in margine , sepa Lucano tabificus seps ,
cum inquit , ossaque dissolvit cum corpore tabificus
seps, multipedæ , seps) ob longam pilosis pedibus, pecori
præcipue nocivam, morsum tumor insequitur & putrescit
locus. Nam hoc ipsum animal inter serpentes mortiferos
refertur. Describitur ab Aëtio sepe tetrab. 4. serm. I. c. 26.
p. pa. 774. & à sepibus percussis sanguinem excerni, insequi
saniem graveolentem, & affectæ partis putrefactionem,
& intra 3. l. 4. dies perire. Vnde à σήπω putrefacio no-
men obtainere dicitur , & ab eodem verbo Græco me-
dicamenta septica appellantur , quæ vim putrefaciendi
obtinent.

VII.

Sed ad usum Medicum quem obtinent , potis-
sum accedamus , cum hujus gratia harum examen
sit primatiò institutum; Et quidem veteribus jam u-
sus innotuit, ut Galenus dixerit, in Medicina maximas
habere commoditates , & Langius Mat. Med. p. m.
429. in Medicina multiplicis esse usus , & Ettmüller, etsi
sit insecta vilissima in medicina tamen esse utilissima.
Virtutem autem & efficaciam suam obtinent à Sale
volatili aeri nitroso , quem magna quantitate in se
possident. Vnde obtinent virtutem aperiendi , atte-
nuandi , incidendi , discutiendi , abstergendi , penetrandi
& resolvendi , præcipue vero utilitatis peculiaris
sunt in mucilagine tartarea resolvenda , calculoque ad
mucilaginem reducendo , in obstructionibus viscerum
aperiendis , ex quibus recensitis facile patet in multis
morbis insignem laudem mereri , uti ex thesibus se-
quentibus in specie patebit.

VIII.

Præcipua vero virtus , quam obtinent est diu-
retica , quæcunque enim Sale nitroso gaudent val-
de

de efficaciter Vrinas pellant. Hinc Vrinæ difficultati ad-
siliantur, mucilaginem Tartaream renibus impactam
abstergunt, concretionem sabulosam & mucilagino-
sam resolvunt, unde in dysuria, ischuria, calculo, tam
præcavendo quam curando, doloribus nephriticis &c.
laudantur. Præcipue vero in curando calculo commen-
dantur & in confirmationem hujus rei allegantur Horat.
Augenius Tom. 2. l. 9. ep. 8. p. m. 609. & Wilhelmus
Laurenbergius in epistola de calculo; quorum prior ex-
emplum profert de puerो calculoso sectioni jam desti-
nato, & de juvene 18. annorum, quorum uterque usu
millepedum fuit curatus. Remedium hoc erat, & Pulv.
milleped. præp. ʒij ad summum ʒiiij vñ vitæ ʒiij. Juris
cicer. rubr. ʒix. vel x. capiat horis ante prandium quin-
que; hujus remedii usu, qui proxime incidi debebat,
libet ab omni calculo nono die fuit. Ad imitationem
Augenij, Wilh. Laurenbergius ut ipse de se refert, pro-
vecta jam ætate calculo vesicæ obnoxius factus, eo ta-
men, Iehovæ auxilio vi medicamentorum admirabili,
& labore molestissimo quidem, attamen in defesso libe-
ratus est, sicuti integrum historiam lectu dignam pro-
lixe recenset. Dan. Sennertus Practic. l. 3. part. 8. f. r. c.
2. p. m. 847. seq. & ex hoc deinde plurimi alii autores.

IX.

Vlterius hunc contra calculum effectum con-
firmat Ettmüller. Schroed. dilucid. in Anglia duabus
mulieribus calculo afflicatis cum fructu potum hunc
fuisse propinatum, eo modo, quem describit Sennertus
loco alligato. Hinc pro præservando calculo vesicæ
infundere millepedes in cerevisiam fermentandam, &
inde potum parare. Et testimonio ejusdem Ettmüller-
i, Lindanus curavit aliquos ea methodo, quam de-
scripsit Sennertus, cum pulvere millepedum; vel de-

cođo millepedum cum ciceribus. Et hinc sub variis formulis possunt exhiberi; & quidem in forma pulveris, cum arcano duplicato, vel tartato vitriolato aut in forma potionis. v. c. Rx. Millep. præp. Lap. percar. ocul. 69. præp. āā. ȝj arcān. tartari gr. xv. Aq. vitæ chærefol. fragor. halicacab. āā. ȝij syr. dialth. Fernel. q. s. f. potio cochleatim sumenda. Aut in forma pilulari pro scopo diuretico hac ratione describit Willis. Pharmac. s. 2. c. 2. p. m. 83. Rx. Millep. præp. ȝij flor. sal. ammon. ȝȝ. Nuc. Mosch. ȝȝ. Thereb. Venet. q. s. sumat iiiij. bis in die. Idem ibid. parat quoque aquam destillatam diureticam non inefficacem h. m. ȝ. millep. recent. ȝb jj. fol. aparin. chærefol. saxifrag. virgæ aur. āā. Mij rad. raphan. sylvestr. ȝvj Nuc. Mosch. ȝj bacc. Junip. Sem. Dauc. Sylv. āā. ȝij concisis & contusis affunde seri lactis c. vino alb. ȝvij; destill. organis communibus, liquor totus misceatur, dos. ȝiiij bis vel ter in die. Aut succus expressus potest exhiberi juxta eundem Willisiūm hac ratione: Rx. milleped. rec. lotor. num. 40. ad 60. Nuc. Mosch. ȝȝ simul contusis affunde vñ saxifrag. (vel vin. alb. generos) q. s. f. expressio & ebibatur. Sub forma tincturæ quoque exhibit, param ex Millep. siccatis cum tinctura salis tartari, quam in vehiculo idoneo à gt. 15. ad 30. propinat.

X.

Circa affectum hujusremedii Laurenbergius notavit se post ejus assumptionem totius corporis calorem percepisse, tribus vel quatuor horis à sumto medicamento pectoris quandam compressionem, & quasi imminentis animi deliquium. Usu continuato sub pubis osse ad regionem ostij vesicæ magnos sentire cœpit dolores, paulo post parum Vrinæ profuebat, & cum ea lamellæ exiguae instar squamæ piscis subrubræ, quæ licet

licet aliquam visciditatem habere viderentur ad tactum tamen in sabulum resolyebantur, ita ut manifesto appareret, tunicam vel crustam esse à maiore calculo solutam. Cujus medicamenti usum cum continuaret, interdum tertio, quarto, nonnunquam quinto die hujusmodi lamellæ crassiores & fragmenta grandiuscula profluxerunt, præcipue ubi balneo aquæ dulcis uteretur. Cum vero & à calculo & ab ejus fragmentis orificio vesicæ esset sauciatum, ad lenendum dolorem medicamentis usus est. Atque ita horum medicamentorum usu 17. septimanarum spacio à calculo isto liberatus est.

XI.

Nòn immerito hic cautela subjungenda, non promiscue in leviore etiam casu millepedas exhibendas esse aut alia fortiora diuretica, quod etiam admonet Paul. Barbett. Prax. Med. cap. de dol. nephriticō p. m. 231. his verbis: superest hoc loco moneamus, insecta ea cantharides, millepedes, similisque conditionis alia, diureticis annumerata, non statim ac Utinæ excretio impedita est, usurpanda, cum sèpius plus damni quam commodi ægrotanti adferant, eò quod ejusmodi animalium minutissimo satis insit virium, etiam crassissima, attamen fluxilia, mucum scilicet, calculos, arenulas & ejus generis alia, ureteres transite valentia, penetrandi expellendique. Hinc alia tanquam correlative addi possunt: sic quando exhibent pulverem milleped. nonnulli addunt flores nitri Mysichti. Alii Nucem Moschatam. Nonnulli cum emulsionibus ex sem. 4. frig. maj. milij Solis papav. alb. & aquis diureticis propinant, aut parant decoctum diureticum ex mucilaginosis & dulcibus concinnatum, v. c. ex rad. glycyrrh. alth. gramin. bacc. alkek. passulis, sem. 4.

rigid. hordeos &c. Addito syr. dialth. Fern. &c in hoc exhibent. Hac enim ratione Sal volatile acre mitigatur & temperatur.

XII.

Cum hic laudentur millepedes ad calculos in mucilaginem reducendos, non prolixè tractabimus illam questionem auctoritate verè medicamenta lithontripica &c. Evidem plurima remedia, imo arcanæ sub hoc titulo venditantur, sed si dicendum quod res est, effectus titulo non respondet, & sepius cum exiguo vel nullo fructu exhibentur, modo non quandoque cum danno & noxa darentur. Hoc quidem affirmamus, mucilagineas ejusmodi tartaream nondum in silicem caritatem concretam ope medicamentorum resolvi posse, ut sub forma muci, lutis vel arcularum excoquuntur, quod millepedes præstissime exemplis antea productis patet. Hunc effectum iisdem non denegat Den. Ludovici Pharm. de diureticis animalibus, accuratus alias remediorum censor, inquit: Certum est nobis, quod arenosas in vesica conglobaciones interdum expulerint, tum per se tum aliis resolventibus sociati. Certum tamen & hoc est quod in compacto siliceoque Dulech, nil valeant, nil aut parum in propellendo tenum calculo, præsentim vehementiori uretem crispatura, cuius judicio & nos accedimus. Concludimus verbis Horatii Augenii L. c. p. m. 609. Calculum durum & antiquatum frangere nemo potuit, molliorem, sophaceum, friabilem, recentem cum difficultate frangemus, in juvane, non in sene, ubi apertus meatus, non adstricti, ubi vires validæ, ægrotus Medico paret, Medicusque suo munere perfungitur. Subiungit tamen: Ac etiam si conditiones adsint hujus-

modi, raro tamen hoc opus medicamentis absolvitur.
In qua sententia & nos acquiescimus.

XIII.

Vti millepedes ob sal volatile nitrosum egregie incisivum potentem vim diureticam possident, ita etiam conducunt in iis morbis, ubi serum superfluum per vias Urinarias est eliminandum, cum non tantum vim diureticam obtineant, sed etiam seri visciditatem & lentitatem, & propterea facile in partibus stagnans tumores oedematosos pariat, emendent, eique fluxilitatem concilient. Ita in cachexia, & hydrope conducunt, partim serum evacuando, partim in gelatinam abiens attenuando & liquando. Willis in hydrope scorbuto superveniente laudat, & h. m. exhibit. R. Millep. præp. 3ij sal tartar. 3ij Nuc. Mosch. 3j M. f. pulv. dos. 3ⁱⁱ bis in die cum liquore appropriato. River. in Prax. in hydrope præbet asellos cum vino albo tritos, diu continuatos, tanquam remedium efficacissimum ad provocandam urinam. Et saepe in hydrope sale volatili prædita remedia fixis sunt præferenda, uti hoc ipsum quoque monet Willis Pharm. Rat. Sect. 2. cap. 3. b. inquit: in hoc statu ad urinas ciendas ea tantummodo propinare oportebit, quæ sanguinis constitutionem ita restituunt & emendant, ut pars serosa intra renes separari & uberiori amandati possit, in quem finem non acida aut lixivialia, verum sale volatili prædita destinantur. Nam saepe observavi, in ejusmodi ægrotantibus, ubi mineralium stigmata acida, salis tartari aliorumque deliquia aut solutiones, noxx potius quam commodo extitere, succum herbatum sale volatili abundantium, nec non millepedarum expressiones plurimum juvasse. Jonst. Pract. lib. 4.c. 47. in ascite lau-

dat sal millepedarum, qui si evomitur pro deplorato æger à quibusdam habetur. In Tympanite si aliqua remedia opem promittunt infusum millepedarum cum Nuce Moschata in aqua diuretica commendat Willis Pharm. rat. sect. 2. c. 4. p. m. 151.

XIV.

Ad humores viscidos resolvendos utiles sunt, ita in appetitu ob ventriculi mucilaginem imminuto laudat Schroederus, licet nos in hoc affectu commodiara & meliora prostare censemus. In iætero à bilis visciditate, & hinc orta obstruktione quoque utiliter dantur. Galen. in l. de medicinis facil. parab. in morbo regio ex multis propinat. Et Plin. l. 50. c. II. in vini hemina exhibitas laudat. Nec solum in Hepatis sed etiam reliquorum viscerum infarctu utiles sunt, quia potenter incidunt, penetrant & resolvunt, hinc Ettmüll. etiam in affectibus splenis & hypochondriis magni usus esse dicit. Willis. Pharm. Rat. Sect. 2. c. 1. p. m. 126. h. m. in iætero præscribit: 1. Milleped. recent. & viv. n. 50. ad 100. croci 3^æ Nuc. Mosch. 3j simul contusis affund. vChelidon. 3ij f. expressio fortis & ebibatur, ad hunc modum sumatur primo semel, dein bis in die per septimanam.

XV.

In primis vero in asthmate & resolvenda mucilagine implente & infarciente Pulmones, non haberi potentius remedium idem Ettmüllerus affirmat, ratione salis volatilis incidentis, quounque modo præparentur & propinentur, propinati in mediocri dosi sunt expertissimi in asthmate, sive aselli cum aceto & vino propinentur ad aliquot. gr. v. usque ad 3j sive in petia ligati infundantur vino & hoc post

expressionem hauriatur, ad infarctus pulmonum mire conductit & egregie convenit; alii faciunt Electuarium ex milleped. præparatis cum melle & gum. ammoniaco pro curando asthmate & similibus pulmonum affectibus est expertissimum & potentissimum. Galen. lib. 7. de compos. med. sec. loc. cap. 6. p. m. 186. ubi de orthopnæa seu asthmate agit, inquit: ceterum asellorum meminit inter ea (Asclepiades nempe, quæ ad dyspnoicos conscripsit) ut qui tenuatoriam & discussoriam vim habeant, verum quo consilio ad usum ipsorum pervenerit, non habeo quod dicam. Idem affirms Andromachum ad orthopnæam Elatherii oboli dimidium cum asellis tritis ex vœ cyatho dedisse. Ettmüllerus hinc inde in suis operibus valde extollit eorum usum. In Praxi dicit: aselli ex præstantissimis sunt specificis, contra asthmata, communiter quidem ad humida laudantur, non ineptetamen etiam ad convulsiva adhibentur. Adeo ut formiti quorumvis asthmatum eradicando videantur convenientissima & cap. de aëris inspiratione Iæsa dicit: vix scio an melius magisque conducens remedium sit contra asthma, quam aselli, hi ipfi nāmque ab omnibus authoribus commendantur, quidam vinum macerationis millepedum pro potu ordinario asthmaticis propinant. Subjungit: recte hinc dicit Lindanus in Coll. M. S. super Hartmannum: quod in solo hoc animalculo perfecta sit cura asthmatis. Concludit his verbis: Et sane multa alia in his latent arcana, quæ paucis nota.

XVI.

Joh. Ferdinand. Hertodt in sua Crocologia c. 13. pag. m. 128. in asthmate puerorum commendat, inquit: Nos in asthmate puerorum millepedas, cum cro-

co & cinamomo vino infundimus, & modico sacchari
candi albi edulcoramus, certissimo experimento. Fran-
cisc. Joël. in sua Praxi sequentem potionem usurpavit
in asthmate, ex quo deinde plures alii eam desumscere.
¶. Vin. Milleped. vel asellor. ʒ viij syr. hyssop. mat-
rab. ȳā. ʒ ij Eſtent. helen. ʒ ij Croc. ʒ ſ. M. f. potio pro
aliquot dosibus. Tale vinum macerationis millepe-
dum in diæta loco vini consueti, quidam adhibendum
suadent, cujus vini usum mite commendat Ettmühl.
Inſtit. p. m. 84. in asthmate ſenili. In phthisi nonnul-
li quoque exhibent, uti Bonet. in Polyath. p. m. 61.
dicit: quin imo pulvis oculorum 691. millepedum,
aliorumque ſale alcali aut volatili præditorum ſæpe
magno cum fructu exhibetur. In phthisi ſub formæ
pilularum dat Willis. Pharmac. rat. Sect. i. c. 6. p. m.
51. ¶. Milleped. præp. ʒ ij pulv. ſem. uitic. bardan. ȳā
ʒ ſ. ol. nuc. moschat. ſillat. ʒ j ſal. ſuccin. ʒ ſ ſucc. gly-
cyrrh. q. ſ. f. piſ. exiguae, quarum tres ſumantur ma-
ne & vespri. In tuffi puerorum convulsiva & phthisi
incipiente ſeq. præſcribit mixturam ibid. p. m. 54. ¶.
Milleped. vivorum mundat. ʒ ij ſem. anis. ʒ ij nuc. mosch.
ʒ ſ ſacchar. albifl. ʒ j contusis affund. aq. hyſſop. ʒ vj li-
macum ʒ ij f. expreſſio fortis. doſ. cochl. ij vel iij bis in die.

XVII.

Uti in asthmate humidò & viscido utiliter ex-
hibentur, ita quoque in convulsivo non inepte dan-
tur, in forma pilular. exhibet Bonet. Polyath. pag. m.
168. ¶. Millep. præp. ʒ ij flor. benz. ʒ ſ ſalis ſuccin. ʒ ij
Extr. helen. ʒ ſ Castor. ʒ ſ Croc. ʒ j Thereb. Venet. q.
ſ. f. massa in pilulas exiguae formanda, capiat iij omni
mane & vespri. Sicuti easdem Willis, tract. de morb.
convulsiv. cap. s. p. m. 485. hoc modo præſcribit in
convulsionibus. ¶. Pulv. Milleped. præp. ʒ iij ſeni. am-

meos 3j f. pulv. divid. in 10, part. æq. sumatur dosis bis in die. Vel asellis 12. contusis cum vino albo affuso exprimatur succus f. haustus, sumatur bis in die. Vel 2. Milleped. mundator ibi caryophyll. concis. 3^{ss} superaffunde vini albi ibi destillentur in cucurbita vitrea dos. 3j ad 3^{ss} bis in die. Nec solum in motibus convulsivis, sed etiam in Paralyssi idem Willis. Patholog. part. 2. c. 9. p. m. 219. in forma pilularum præscribit. 2. Millep. præp. 3iij^{ss} Margar. 3i^{ss} rad. dictamn. Cret. 3j Thereb. Venet. q. s. f. Massa, formetur in pilulas exignas dos. 3^{ss} superbibendo haustulum aquæ destillatæ.

XVIII.

Cum insignem possideant vim incidendi & discutiendi, in angina aliisque tumoribus resolvendis & absumentis commendantur. Galenus l. 6. d. comp. med. sec. loc. p. m. 174. sub titulo, quæ Atchigenes scripsit ad gurguliones inflammatos inquit: quidam asellos in potu exhibent, aut delingendos dant, aut dolentibus & affectis partibus illinunt & valde se juvari testantur. Diosc. l. 2. c. 23. q. Millepedes illini anginis cum melle utilissimum. Platerus in sua Praxi: in angina oleum in quo millepedes coquuntur utile dicit: idem dicit: cum tumores non solum elicere, sed eosdem simul exsiccare, absumere, digerere animus est, ad seq. progredimur, millepedes siccatos, pulverisatos & cum melle inunctos, conf. Bonet. Polyalth. p. 11. & 12. in aliis quoque tumoribus & concretionibus, item in scrophulis parotidibus &c. discutiendis cum fructu applicantur.

XIX.

Singularis quoque vis anodyna iis adscribitur, unde in multis morbis cum dolore conjunctis adhi-

bentur. Galen. l. 2. d. comp. med. sec. loc. p. m. 137. ubi de cephalæa s. capitis dolore antiquo agit, inquit: maxime etiam prosunt, sub aquario vase nascentes aselli, millepedæ appellati si oleo incoquantur, & Willis Patholog. part. 2. c. 2. p. m. 149. q. Millepedum usus hic omitti aut posponi non debet, utpote quorum succus expressus, aqua destillata, etiam pulvis ex iis paratus procurandis antiquis & pertinacibus cephalalgiis opem saepe egregiam praestant. Similiter quoque in aurium doloribus prescribuntur: Galen. l. 3. de comp. med. sec. loc. sub titulo quæ pharmaca Archigenes ad aurium dolores conscripsit, q. Severus asellos cum unguentis tritos ulceratis infundebat. Bonet. Polyalth. p. m. 990. q. in doloribus aurium convenit oleum decoctionis atellorum, tepide auribus instillatum, aut cum bombace iisdem intincta immissum, & Riverius Prax. lib. 3. c. 3. p. m. 220. aselli in oleo violacco, nymphæ & rosaceo infusi & expressi in doloribus aurium praestans faciunt anodynum. Hæc enim animalia eximiam habent vim dolorem sedandi eaque ratione in doloribus, dentium, hemorrhoidum aliisque usurpantur, & in oleis cum aqua decoquuntur ad quæ consumptionem.

XX.

Non tantummodo vero in doloribus oculorum sed etiam aliis eorundem affectibus conduceunt. Unde Joh. Jonston. hist. Nat. de insect. p. m. 170. q. Oculorum fere omnes morbos ab adnatis vel innatis ortos tollunt, catarrha excepta, si recentes bene contriti ex convenienti liquore sumantur, vel extra adhibeantur. Langio l. c. oculorum vitiis interne & externe mederi dicuntur. Ita in inflammationibus oculorum interne pulverem Millepedum prescri-

plat Joh. Muys Chirurg. ration. decad. vj. obs. 8.
p. m. 21.

XXI.

In dolore hæmorrhoidum utente sæpiusque atrocissimo, gratum millepedæ præbent levamen, ita Jonston. Pract. l. 4. c. 35. suadet ut millepedes in adipe Gallinæ, butyro non salito an. part. æq. & adipe anguillæ ad consumtionem decoquantur. **Obstetrix Gallica** part. 4. c. 4. his sic utitur. & Poma arida / vel potius putrida) bulliant cum aqua rosacea ad molli- tiem, admisce asellos contritos, tunc inducantur linteo & imponantur m. & v., videbis tumorem, in- flammationem & dolorem statim mitigari. Petr. Bo- tellus c. 1. obs. 63. p. m. 65. asellos cum radice porri in oleo incoquit, & si sunt externæ hæmorrhoides illi- nit, sin vero internæ intus infundit oleum. Mos. Charas Pharm. ita præscribit: & Pulp. milleped. Ung. popul. ol. ovor. àā ſij extract. opij ſij M. f. l. a. lin- ment. Sed opium anodynus externis futiliter addi- vi- detur. Reiner. Solenander Consil. Med. Sect. 4. Cons. 20. p. m. 381. Unguentum inde conficit, sed ait se sæ- pius hoc ante hac usum, & uti feliciter, parat h. m. & olei violac. ſij asellorum ſij addit, centum aselli me- diocres ut plurimum unciam pendent, tuſos inde oleo, atque in vase terreo leviter coque, tum adde ceræ al- bæ recentis unciam medium, deinde cola & exprime in aquam frigidam, si exterius prominent, unguen- tum in splenio imponit, ſin intus latent in formam glandis involvit, atque splenium linamento inductum superaddit. Eosdem asellos in doloribus hæmorrhoi- dum tanquam remedium secretum laudat Rod. à Fon- fecca, l. i. Cons. 27. p. m. 184.

XXII.

In doloribus scorbuticis, item in arthritide vaga scorbutica quoque à nonnullis utiles censentur conf. Willis, de affectibus hystericis & hypochondriacis. Et quidem in arthritide vaga scorbutica dilaudat. Gregor. Horst. Epist. Med. Sect. 2. p. m. 354. q. quod asellos attinet non repugnarem, tam virtute sua tartareas collectiones easdem dissolvere, quam etiam aliena quadam qualitate vim expultricem extimulare posse, quo coniunctis aliis appropriatis eò citius malignitas nervosis partibus inimica discutiatur. Confirmat hoc ipsum Valent. Andr. Mollenbrocc. de varis c. 13. p. m. 237. & maximam vim habere obstructionem viscerum referandi, & tartareas collectiones dissolvendi. Aliegt ibidem literas Lic. Pflug Chymiatri Erfurtensis, se putare quod ex iis æquivalens cum eo, quod ex viperis fit, medicamentum parati possit, si in sal redigantur imo exiccati & pulverisati chthonicos morbos curent, quia ob sal tetræ mire aperiant & deoppilent. Narratque simul in iisdem literis, Empiticum Anglum ex Cantharidibus sal crystallinum parasse eoque in curandis morbis multa præstitisse ac dimidio istius salis grano pro dosi, podagricos & calculosos prodigiouse curasse. Quod ultimum tamen suo leco relinquimus.

XXIII.

Denique etiam usurpantur, pro curandis ulceribus malignis & phagædenicis, item vulneta recentia & inveterata solent nonnulli curare usu interno asellorum ac in Anglia hoc usitatum esse. Ettmüllerus refert. Exemplum gravis ulceris curati per internum usum pulveris millepedum refert Laz. River. Cent. 4 obs. 89. p. m. 552. mulier nobilis laborans tumore mammaria sinistra perduro ex concretione lactis, irritis omnibus

curata est sumendo 3j pulveris millepedum præp. in juscule per triduum, hujus autem pulveris eximias dotes s̄epe vidimus & audivimus ab expertis in hujusmodi tumoribus ex lacte concreto, nec non etiam in cancro mammarum ac reliquatum partium, ut contigit cui-dam viro religioso, qui patiebatur ulcera multa etiam profunda in multis partibus corporis, præcipue vero in tibiis, à quibus brevi tempore curatus est sumendo 3j prædicti pulveris, per 7. vel 8. dies alternos, præmis-sis tamen præmittendis, præterea pulvis hic cum sit tenuum partium, insigae præbet aperitivum & diureticum.

XXIV.

Multifarii usus esse ex dictis patet, ut recte Galeno non uno in loco & non ad unum morbum cele-brentur, ita externo usu varie se quoque commen-dant, uti ex supra dictis satis patet, vivi impositi pha-gedænam petimere dicuntur Schrödero, itemque pa-ronychia succurrunt, mammis fœminarum exulceratis conducunt in forma emplasti, contriti & cum there-binthina, myrrha, applicati ulcera alias sanatu diffici-lia curant, in fistulis succus è vivis elicitus injicitur, & si quæ sunt alia.

XXV.

Non tamen promiscue & sine cautela exhibeti debent, ipsum pulverem squameum quasi & vel ori-ginis causa, ingratiorē pronunciat Dan. Ludov. cap. d. diureticis animalibus. p. m. 336. dum dentur tot ac-ceptiora palliativa, & nihilominus ipsa dispositio (calcu-losa) inemendabilis passim deprehendatur: sed non quæ-vis ingrata sunt statim rei cienda, & lubenter concedimus iis qui talia remedia ratione originis abhorrent, non es-se exhibenda, nec etiam insciis sed multi tamen dan-

tur, qui talia plane non fastidiunt, modo optatus sequatur effectus.

XXVI.

Circa dosin quoque cauti esse debemus, quidam exhibeat à 3j ad 3j in pulvere, quæ dosis tum ratione molis, tum ratione effectus nimia est, est enim pulvis levis admodum, & recte Schroederus dicit: non facile 3j transcendit, nec usum continuo nimia quippe resolvendi vi incommoda non parva inferre possunt. Satius mihi viderur à minori dosi incipere, eamque pro tolerantia ægroti, & morbi conditione sensim augere. Alias quoque varia incommoda recensentur, quæ post assumptionem insequuntur, nimirum calor totius corporis, pruritus in inguine, non secus ac ex cantharidibus assumitis, id quod tamen vix aliter quam de dosi excessiva intelligendum erit, angustia præcordiorum, & in teneroribus deliquia, hinc cum acres sint aselli, in delicatis ob metum incommodorum dictorum vix pulverem corum in usu esse censem. Ettm. Comment. Lydov.

XXVII.

Ulterius & hoc observandum, quod in compago siliceoque calculo nil valeant: deinde quod in ipsis doloribus nephriticis atrocioribus nil vel parum valeant, in propellendo renum calculo, sicuti in genere reliqua quoque forriora calidiora & acriora pellantia exulare debent, præsente scilicet vehementiore ureturnum crispatura, uti Ludovici loquitur, qua supposita omnia pellantia in vanum adhibentur, cum alias dolores exasperentur, potius tunc convenienti lubricantia, blanda demulcentia, anodynæ & antispasmodica.

XXVIII.

Modus exhibendi varius est, vel enim recenter

capiuntur & succus expressus vel in juscule, aut aqua convenienti, vel etiam vino albo diuretico exhibentur. Addi potest vino **cinnamomum**, & saccharo edulcoretur. Qua ratione vero copia eorum colligi possit, modum tradit Mollenbrocc. de varis p. m. 238. si nimirum orbes juscule carnium madefacti in cellis aliisque subterraneis locis, ubi degere solent, ponantur, facile ibidem congregabuntur, quos in vas aliquod coniicet & brevi temporis spacio magnam eorum copiam habere potest. Exsiccati in forma pulveris dantur, licet hac ratione sint ingratiiores. Quomodo vero sub aliis formulis tam interne quam externe dari possint, ex superioribus thesibus facile perspici poterit.

XXIX.

Hoc adhuc adjungendum esse videtur, an signatura aliquod indicium præbeat de viribus millepedum, siquidem nonnulli dicunt locum natalem saxosum indicare ad calculorum curationem asellos facere, pariter aptitudine & propensione se contrahendi indicare ad convulsiones non esse inutiles, quæ indicia tamen infimo admodum stant talo, nec ulli solidi fundamento innituntur.

XXX.

Variæ autem millepedum instituuntur præparationes, alii cum vino lavant, & exsiccant, alii cum acetato idem faciunt. Ludovici Pharm. asellos modo simplicissimo nec vulgo destructorie potius præparatos cuiuslibet delequi remittit. Et quo simplicior est præparatio eo videtur melior, Sennert. Prax. l. c. p. 849. seq. profert præparationem. Sumuntur millepedes, aqua ononidis abluuntur, ut à sordibus purgentur, deinde vino Hispanico inebriantur, hinc conjiciuntur in ollas vitreatas luto diligenter occlusas, in furnum Apani

panis coctione calentem collocantur, ut in pulverem redigi possint. Huic pulveri rursum affunditur vinum Hispanicum, & sic imbibitio & exsiccatio tertio repetitur, quarta vice hoc liquore irrorantur, &c. v fragor. Zijj spir. vitriol. 3ij. iterum pulvis exsiccatur & tenuissime contritus in vitro usui servetur. Sola lotio cum vino sufficere nobis videtur & vase clauso exsiccatio, nec opus est ut lotio tertia vice repetatur, sicuti eam suadet Pharm. Aug. p. m. 405. sit enim cum partium volatilium deperditione. Neque enim, judicio Zwelfferi uila venenositas ab asellis pertimescenda est, quin potius cavendum, ne in dosi ac utendi modo error committatur.

XXXI:

Nec tam correctio est quam castratio quando siccatas & pulverisatas spiritu vitrioli imbibunt, nam secundum Hoffman. Clav. in Schroed. sufficient tantum in pulverem redacti absque spiritus vitrioli imbibitione ad mucilagines tartareaes in renibus & vesica resolvendas. Longe magis est præparatio destruktoria, quando collectan. chymica Leydens. cap. 143. p. m. 126. talem millepedium præparationem in calculo & urinæ difficultate docent, ut abluantur in vino albo, in vase terreo cooperto in cineres comburantur. Postea in alcohol terantur, vino irrorentur quantum imbibere possunt, levi igne siccantur de novo vino albo irrorantur, hoc tertia vice repetitur, ultima vice singulis uncis asellorum in cineres crematorum additur olei vitrioli 3j, exiccantur cum spatula lignea ad siccitatem, ita obtineri dicunt pulverem diureticum maximarum viuum, cuius 3j exhibent cum aq. vitæ 3ß & decoct. cicer. 3v. l. vj. exhibendum mane jejuno stomacho hor. iiiij vel v. ante pastum.

XXXII.

Parari etiam ex iisdem posset magisterium, cum spiritu nitri & oleo tartari ad imitationem magisterii cantharidum Ludovici p. m. 336. ad urinæ mucorisque sollicitationem, quo tamen commode carere possumus. Tinctura quoque inde fieri poterit, si cum liquore nitri fixi irrorentur, & spiritus vini tartari satus affundatur, Willisius extractionem cum tinctura tartari parat, uti supra allegavimus. Aqua diuretica efficax & valida inde per distillationem elici poterit, qualem ex Willisio supra descripsimus. Nonnulli affusione aquæ appropriatae ophthalmicam aquam destillant quam in oculorum vulneribus atque ulceribus laudant. Infunduntur quoque in oleo pro usu externo anodyno.

XXXIII.

Et hæ sunt præcipuæ præparations. Eduard. Bolnestus in aurora chymica cap. 5. §. 10. p. m. 20. tradit quintam essentiam centipedum, quam commendat summum sanguinis purificativum etiam in lepra, & ad omnem genus ulcerum, sed præterquam quod elogia hæc sint hyperbolica, laboriosus eam parandi modus vix operæ pretium mereti videtur. Cæterum hoc ultimo adhuc subjungendum, si millepædæ integræ destillentur, vel ex retorta vitrea, vel ex cucurbita igne arenæ, exhibebunt. 1. Phlegma. 2. Spiritum urinofum, 3.


Sal volatile, & denique 4. Oleum Empyreumaticum.

FINIS.



Pereximio Dn. Respondenti
 Amico perdilecto
 DE
 Speciosis in Medicina
 progressibus gratulatur

FRANCISCUS BALTHASAR
 von Lindern / M. D.



Er pulchre & non insigni ra-
 tione Mant. l. ii. syl. la-
 borum prœmia acquiren-
 di hocce sequenti præ-
 stantissimo remedio viam
 nobis manifestavit, dicendo,

*Certandum est nulli veniunt sine Marte
 Triumphi,*

Et nisi certanti nulla corona datur.
 Et profecto elegantissimum hoc assertum
 si ulla in arte vel scientia , certe in Medi-
 cina est commendandum , quippe cuius
 solida fundamenta non nisi industria ac
 indefesso labore acquiri possunt. Tu
 itaque pereximie Domine Defendens
 quam


quam optime quoque facis , qui felices
 in studiis facere satagis progressus , ut ar-
 denti desiderio fastigium honoris adscen-
 dendì diligentì animo incedas & pro tem-
 pore ea , quæ manuductione fideli Præce-
 ptorum Tuorum per plures hactenus an-
 nos imbibisti , publico documento pro-
 prio marte & ingenio elaborato , jam so-
 lenni Eruditorum disquisitioni exponas.
 Propterea nullum dubium est , si ita co-
 natu infatigabili pergas , quin per Indu-
 striam hancce futurum sit , ut Metam
 prœmiis abundantem ad mea Tuorum-
 que tandem Vota adipiscaris. Vale da-
 bam Arg. è Muséo d. 5. Februar. 1711.



Dum quid de centumpedibus de-
fendere tentas
Sic precor ex animo ut numen
conata secundet,
Assistatque tuis studiis cum laude per-
actis
Quo tandem largam messem decerpere
possis.

*Hac panca animo suo dilecto Respondentì
apponere voluit*

J. A. Leitersperger , Med. Cultor.



Ui Tibi de celsâ proponis, Amice,
Cathedrâ,
Millepedum vires hocce die
eruere;
Et dubiis contorta plicis quæsita, parato
Ac exquisito solvere judicio,

Gratu-

Gratulor ex animo Tibi , semper & ap-
precior , hisce
Adspirent cœptis fata secunda tuis.

Ita

Doctissimo Domino Respondenti
Commilitoni suo amantissimo
vovet

Joh. Casparus Mustinger ,
Med. & Chir. Stud.



Um TIBI sit curæ , dare jam spe-
cimen studiorum
Ardua scrutando sedulitate
Tua ;
Dum soves nisus hos , laudibus ecce ve-
hēris ,
Atque Galenus opes , commoda mul-
ta dabit .

Paucula hæc Dn. Respondenti ex sincero amicissime
vinculo gratulabundus adjeoit ,

Iccine mi affinis ! docto tentami-
ne compleſe ?
Spem claræ stirpis ? ſic tibi mu-
ſa favet ;
Perge Tuis ſtudiis , nam nil niſi vera fa-
tebor.
Inde eris aonii gloria magna chori.

*Haec paues Nobilissimo Dno Respondenti nec non Cognato
ſibi Charissimo in perpetui amoris
testimonium adſcribit*

M. Elvert , LL. Cultor.

